

Æqualis est, quæ cum nomine recurrit. Et tum est reciprocatio: ut, Est animosus, Ergò animi plenus. Et, Est animi plenus, Ergò & animosus. Si verò notatio sit latior nomine, à nomine ad notationem tantum affirmativè ducitur illatio: ut, Testamentum est, Ergò mentis testatio. A specie enim ad genus affirmatè solùm concluditur. At nomen hîc ut species est, notatio ut genus. Si fortè datum exemplum non sit ad salivam, hoc habe: Pactum est, Ergò pactio est. Nam pactum à pactione est, sicut effectus ex causâ. Igitur à notatione ad nomen tantum ducitur negativa: ut, Non est mentis testatio, Ergò nec testamentum. Non est pactio, Ergò nec pactum. Negato enim genere negatur quælibet ejus species. Cæterum notatio æqualis aliàs dicitur propria & adæquata; latior dicitur communis.

4 *Cui competit nomen, eidem & nominis notatio; & cui hæc disconvenit, eidem & nomen ipsum:*

Ut, Est homo, Ergò ex humo sumtus. Sic: Non est ex humo sumtus, Ergò nec est homo.

5 *In nominibus propriis argumentum à notatione est infirmum, nisi divinitus sint imposita.*

Non est firma consequentia: Ille vocatur Johannes, Ergò graciosus est. Sed firma est hæc consequentia: Primus homo vocatus est Adam, Ergò ex terrâ sumtus fuit. Ratio: quia hoc nomen à Deo ipso fuit impositum.

Nomen est argumentum, arguens notationem tanquam thema.

Cap. 26. Totum & pars.

ARgumentum ortum secundi ordinis est quadruplex, totum & pars, genus & species.

Totum.

Totum est argumentum, quod vi relationis suæ partem ut thema arguit.

Ejus canon est:

Quicquid affirmatur de toto, quatenus omnes partes compre-